

Fugientem ad Ecclesiam non licet excludere, sed recipiendus est. n. 274.

Attentatum.

Tomo 5.

Attentatum est mutatio status ejus rei seu causa, de qua sub iudice lis pendet, facta prae-textu juris alterutrius litigantis, in praejudicium alterius, & contemptum iudicis superioris. fol. 170. n. 430.

Si iudex a quo, vel victor, aliquid attentat, est statim a iudice ad quem revocandum attentatum, si fuit appellatum a definitiva. n. 431. Et refundenda expensae parti laesae, factae ad obtinendam revocationem, priusquam in causa procedatur. fol. 171. n. 432. Si attentatum non potest in continenti probari, tractabitur una cum causa principali. n. 433. Facto attentato ab appellante sententia transit in rem iudicatam, perinde ac si nunquam appellatum esset. n. 434.

B.

Bancarii.

Vide *Nomenclarij.*

Bannum. Banniti.

Tomo 2.

Banniti a Principe inferiore, inter Relegatos potius quam Deportatos numerandi. Possunt enim testari saltem secundum formam Juris communis. fol. 48. n. 220.

Tomo 6.

Faminae in Bannum Imperiale incidunt, si vim publicam inferri mandent: bannitis tecto recipiant: mandatis executorialibus Casatis obstinate non parent, salvo earum pudore: & instar personarum Ecclesiasticarum omnibus beneficijs, bonis, privilegijs privantur. fol. 171. n. 488.

Bannum Imperiale a solo Imperatore, vel eo absente, a Rege Romanorum irrogari potest. fol. 336. n. 582. Sic Banniti testamentum facere non possunt. sunt incapaces successionum. omnia bona amittunt de praesenti. Incapaces sunt iudicio. n. 584.

Beneficium.

Tomo 1.

Beneficium non confertur invito, verum est per se loquendo, & quando est rationabiliter invitatus, alioquin saepe fallit. fol. 9. n. 117. ubi vide fallentias.

Beneficium quomodo triennio praescribitur, vide *Praescriptio triennalis.*

An & quando in Beneficijs commutandis aut resignandis committatur Simonia, vide *Simonia.*

Bestialitas.

De hac vide. *Sodomita.*

Bigamia.

Tomo 6.

Bigamia, seu Polygamia, sumpta prout habet rationem delicti, consistit in eo, quod vir aut uxor,

B.

vivente conjuge, alteri se matrimonio jungere conatur. fol. 88. n. 130. Est gravis adulterio. eod.

Bigamia punitur in Imperio poena gladii. fol. 88. n. 131. Jure Civili videtur puniendae sicut adulterium. n. 132.

Contrahens cum habente conjugem, sed non habens conjugem, punitur poena adulterij. fol. 89. n. 136.

Etiam si Bigamus priorem non cognovisset carnaliter, adhuc puniendus esset ut bigamus. fol. 90. n. 138.

Blasphemia.

Tomo 6.

Blasphemia est crimen laesae Majestatis Divinae. Consistit in dicto contumelioso in Majestatem Divinam. fol. 90. n. 139. Non est de essentia illius, verba prolata esse falsa, dummodo sint contumeliosa, ob irreverentiam, qua profertur. n. 140.

In Sanctorum contumelia tunc committitur blasphemia, quando verba profertur cum respectu ad Deum. fol. 91. n. 141.

Audientes tenentur etiam Jure positivo arguere blasphemum, (si spes sit emendationis, & absit periculum proprium) imò & intra triduum denunciare, (nisi sit consuetudine abrogatum) sub poena blasphemorum. n. 144. & seq.

Jure Ecclesiastico varia poena in blasphemos constituta sunt, quas vide n. 146. & seq. nisi blasphemus in continenti revocet. fol. 92. n. 149.

Jure Civili etiam in poena variatum est. ut videri potest n. 150. & seq. Jus Bavaricum pro Nobilibus statuit poenam pecuniariam. fol. 93. n. 153. Heretici negantes Sanctis deberi cultum, quem sciunt per innumera miracula approbari, sunt blasphemii. n. 154.

Bonae fidei contractus.

Tomo 4.

Aliqui solo Consensu perficiuntur, aliqui Reiprius generis sunt: Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Mandatum. Ex his celeberrimus est Emptio, Venditio. fol. 1. Ex eo quod solo consensu perficiantur, male intulit Giphanius, esse nudum Pactum prout hoc opponitur Contractibus: dicuntur tamen esse nudum pactum, quatenus nec verborum solemnitatem, nec scripturam, nec traditionem ad substantiam requirunt. fol. 2.

Bona vacantia, vel derelicta.

Tomo 1.

Bona vacantia a peregrino in hospitali sine haerede decedente relicta, applicanda sunt ab Episcopo ad pias causas. fol. 399. n. 3.

Ut bona censentur derelicta, non sufficit, in eum statum devenisse, ut nisi tu occupares, omnino perirent, aut non possent ad dominum sine majore sumptu reverti. Sed animus domini ex circumstantijs colligendus est, & impossibilitas moralis recuperandi talis esse debet, quae reddat domino suum dominium nullius estimationis. fol. 400. n. 5. & 6.

Re

C.

Res pro derelicto habita sit primò occupantis, si velit esse dominus, & dominij capax sit. f. eod. n. 8.

Bonorum Collatio.

De Bonorum Collatione ab heredibus faciendae vide. *Collatio Bonorum.*

Bonorum Possessio.

Tomo 2.

Bonorum Possessio contra tabulas solis liberis datur, non item ascendentibus, multò minus lateralibus, aut alijs extraneis. Liberis, inquam, praeteritis in testamento, ea praeteritione, quae non habetur pro exheredatione. Utilitas hodie praecipua esse videtur, ut occurratur scriptis heredibus, qui jure praetorio facile impetrant Bonorum Possessionem secundum tabulas: de carcere vix potest habere utilitatem, cum testamentum sit nullum. f. 147. n. 640.

Bonorum possessio secundum tabulas conceditur cuiusque haeredi scripto secundum tenorem testamenti, habetque plus securitatis quam hereditatis petitio. fol. eod. n. 641.

Ut Praetor det Possessionem Bonorum secundum tabulas, non considerat an ex aliquo capite testamentum sit impugnabile, dummodo tabulae sint supremae, septem sigillis signatae, factae ab eo qui Jus testandi habuit. Impugnato postea testamento Praetoris beneficium evanescit. Dum tamen pendet appellatio a sententia contra testamentum lata, non datur bonorum possessio ab intestato proximitatis jure. fol. eod. n. 642.

Quando testamentum est nuncupativum, Bonorum Possessio secundum nuncupationem datur, eod.

Volunt aliqui, quod Bonorum Possessione esset locus post elapsum tempus petendae hereditatis. fol. 148. n. 643. Alij alias utilitates quarunt, v.g. quod constitutus sub aliena potestate, posset petere Bonorum Possessionem ignorante illo, sub cuius potestate est, accedente ratihabitione: item, quod Bonorum Possessionem etiam inferior gradus agnoscere posset, item quod peti posset per Procuratorem, & sub conditione: quod de singularum rerum hereditariarum possessione habeat interdictum *Quorum Bonorum.* Alij verò negant hodie esse Bonorum Possessionis usum, eo quod per Constitutiones Civiles plenissime sit cautum. eod. & seq.

Bulla.

Tomo 1.

Bullam non esse receptam, intelligendum, quod intra decennium fuerit non usu consuetudine abrogata. fol. 6. n. 29.

C.

Cæcus.

Tomo 2.

Cæcus nec testamentum purè nuncupativum, nec purè scriptum condere potest, sed utriusque

solemnitates aliquo modo observare debet, ut valeat testamentum, ut proinde sit quasi mixtum, ob fraudum majus periculum. fol. 54. n. 246.

Jure Bavarico (secus jure communi) requiritur tanquam substantialis solemnitas, ut in testamento cæci praeter nomen haeredis, exprimat eam cuius dignitatis, status aut conditionis sit eod.

Non vitaretur testamentum perverfione ordinationis, sicut nec alia testamenta. fol. 55. n. 247. Ad Cæcorum Codicillos non requiruntur septem Testes unà cum Notario, sed solum, ut Cæcus ultra quinque testium numerum confuetum, Notarium aut sextum testem adhibeat, ac praeter scripturam & subscriptionem testium, voluntatem suam expressè nuncupet. fol. eod. n. 248.

Ad testamentum Cæci inter liberos, vel ad causas pias, requirit Jus Bavaricum ultra communia testamentorum inter liberos Notarium, aut ejus loco alium testem. fol. eod. n. 249.

Calumnia.

Tomo 6.

Juridicè loquendo tunc committitur, quando quis alium malitiosè, & scienter in iudicio accusat de falsis rebus, vel conatur sustinere, quod scire debet esse iniquum, & ideo exigitur ab Actore Juramentum Calumniae. fol. 95. n. 155. de quo vide *Juramentum Calumniae.*

Pœna Calumniae, est arbitraria pro diversitate circumstantiarum. eod.

Cambium.

Tomo 4.

Contractus Cambij est species Permutationis, adeoque contractus inominatus, & est Pecunia cum pecunia permutatio: ita quidem, ut statim transferatur primo loco solutæ dominium, in quo differt ab Emptione. fol. 124. n. 369. ubi vide ejus differentias a mutuo, & explicationem variorum terminorum hac spectantium.

Litterarum Cambij periculum est Campforis, & hoc sensu greditur personam mutuantis. fol. 125. n. 372.

Quando Contractus deest titulus realis, & tantum est apparens, vocatur Cambium Siccum, quia est Illurarium, & opponitur Reali. fol. 125. n. 373.

Cambium Reale dividitur in Cambium *Manuale* seu *Minutum*, quando commutatur pecunia praesens minus bona cum meliore: & in Cambium *Locale* seu per *Litteras*, quando commutatur praesens pecunia cum absente. fol. eod. n. 374.

Quando Campfor solvit pecuniam praesentem, ut reddatur alibi suo correspondenti, solet fieri instrumentum publicum. Quando verò Campfor solvit prior Campfori, accipit à Campfore litteras ad correspondentem, ut solvat, & in rationes referat. fol. 125. n. 375. & seq. ubi varie utilitates Cambij recensentur.

Cambium manuale justificatur ex pluribus titulis, ut Campfor accipere possit plus quam dat.

C 3

1. Lucrum

1. Lucrum cessans, & damnum emergens. 2. Officium Cambiendi à Magistrali impositum. 3. Labor in numeranda pecunia. 4. Qualitas Monetae. Denique periculum valoris variandi. fol. 126. n. 379. & seqq.

Cambij localis primus titulus est, æstimatio virtualis translationis pecuniæ in alium locum. quò pertinet Titulus Assuranceionis fol. 128. nu. 384. Secundus est minor valor pecuniæ, qui titulus est controuersus. n. 385. & seqq.

Cambium locale ex titulo virtualis trajectionis etiam licitum est, quando Campfor hic prior solvit. fol. 130. n. 390. Neque redderet illicitum, etiam si Campfori commodum esset, alibi sibi solvi. fol. 131. n. 392.

Ad defendendâ praxin, quâ plus accipitur titulo longioris dilationis solutionis, præsumendum est, semper subesse alios titulos, & quoad hoc credendum Campforibus, & Mercatoribus, ob longam experientiam. fol. 131. n. 394.

Cambium cum Recambio quomodo fieri solet, variè figuratur. fol. 132. n. 395. & seqq. quo fit, ut in effectu debitum in eo loco solvatur, ubi contractum est, & quidem cum lucro. Huiusmodi Recambium esset Siccum & illicitum, si Campfor sciret, pretentem pecunias alibi solvendas cum lucro Cambij, non habere in illo alio loco pecuniâs, neque etiam aliquem ibi esse, qui suo nomine sit solviturus, adeoque reipsâ constituisse pecuniam cum lucro solvere in loco ubi eas accipit. fol. 133. n. 400. Quod si Campfor bonâ fide processisset, Campforius verò subdole simulasset, se alibi solviturum, teneretur Campfori ad lucrum cessans, & damnum emergens, possètque Campfor lucrum Cambij exigere eod. ubi vide plura collata.

Si Petro volenti accipere Romæ Mille ad Cambium Placentiæ solvendum, & dicenti, se Placentiæ nullas habere pecunias, dicat Campfor absque dolo, sed ad gratificandûm, se ibi personaliter daturum Mille, ad novum Cambium, cum lucro Cambij Romæ solvendas, & quibus exigatur Placentiæ primum Cambium, manente debito tum primo Cambij, tum secundo, cum lucro secundi Cambij Romæ solvendorum, esset licitum. fol. 134. n. 403. & seqq. ubi vide plures casus.

Non esset licitus cambiendi modus, quo Joannes vel ejus Procurator Antenuus, vellet Placentiæ creditum ipsius Petri Romæ contractum, transferre in Petrum ad novum Cambium Romæ solvendum, quo tamen Petrus extingueret primum Cambium, sed insuper lucrum ex duplici cambio solvere teneretur. fol. 135. n. 408.

Ad varias argurias securè dijudicandas, Regula est: Si illud quod in huiusmodi modis & pactis cambiendi per virtuales & implicitos rerum conceptus involvitur, in explicitis resolvatur: tunc enim si appareat, quod in rei veritate idem sit, ac si Petrus promitteret Joanni solutionem fortis Romæ cum duplici lucro Cambij, est contractus usurarius. fol. 136. n. 409.

Simpliciter & absolute non est improbandum Recambium, seu Cambium cum recursum, quavis in praxi sit admodum periculosum & dissuadendum. fol. eod. n. 410. & seqq.

In Bulla Pij V. prohibetur, ne fiat pactum de certo & determinato interesse, licet pro eventu, quo fors non fuerit soluta. Nec valeret contractus, etiam si omnis fraus abesset, & taxatio ad æqualitatem periculi fieret, quia lex annullat. fol. 138. n. 414.

In eadem Bulla præcipitur, ut Cambia Realia fiant ad proximas nundinas. fol. 139. n. 415. & seqq. ubi vide limitationem & casum. Non est tamen prohibita dilatio ad remotiores nundinas, quando Campfor prior dat pecunias. n. 418. Distantia loci observanda est, ut terminus competens sit ad solutionem faciendam. fol. 139. n. 419.

Non licet Campfori deducere in pactum ultra justum pretium, ut casu quo Campforius debito loco & tempore non solverit, teneatur eandem summam ad Recambium huiusmodi novum lucrum accipere, nisi alius titulus accedat. fol. 140. n. 424.

Quando ex pacto non debentur luera & provisiones nisi finito Cambio & extincto toto debito, tunc non possunt illa luera intermedia in sortem adijci ad Recambium, cum necdum eorum solutio debeatur: quando verò debentur statim finito Cambio, possunt ad Recambium dari, fol. 141. n. 425.

Non tenetur Campfor solutionem sortis accipere non soluto Cambiorum interesse. fol. eod. n. 427.

Praxis inveterata Mercatorum habet, qua pro singulis Centenariis Scutis debetur tertia pars seui secundum monetam de qua solvitur Cambium: quo fundamento defendi possit vide fol. 142. n. 429.

Si Campfor ex officio cambiat, non est illi licitum adigere Campforium, ut dum mallet ad locum vicinum, accipiat Cambium ad locum remotiorem: secus dicendum, si non ex officio exerceret. fol. eod. n. 430.

Captura. Captivus.

Captus à Turcis quali privilegio gaudeat, vide *Servus*.

Tomo 1.

Captus etiam in bello iusto, licet potest fugere ad suos, & sic libertatem recuperare. f. 409. n. 55.

Captus dum est in Captivitate apud hostes ubi servi sunt, de iure scripto non potest facere testamentum, nec factum convalesceret per reditum: si tamen prius in civitate fecisset, & à captivitate rediret, vel in captivitate moreretur, valeret. f. 46. n. 209. Codicilli in Captivitate facti, si in captivitate sit mortuus, non confirmantur, quia fingitur decessisse ante captivitatem. bene tamen si rediret, quia fingitur nunquam captus fuisse. n. 210. Hodiernis tamen moribus probabiliter sustinerentur testamenta apud Turcas & Saracenos in captivitate facta secundum leges illius populi. 211.

Carcer & Custodia alicujus tunc adhiberi potest, quando

quando delicti (de quo inquiritur) pena ordinaria est in æstimatione hominum notabiliter major & gravior, quam molestia carceris, neque Judex potest per alia media obtinere debitam delicti vindictam, prout quandoque potest in personis opulentis & habentibus bona immobilia, quorum intuitu non est periculum fugæ ad declinandam penam ordinariam. fol. 230. n. 116.

Ad capturam & incarcerationem requiruntur in Imperio Indicia facientia aliquam probabilem conjecturam & suspicionem de crimine à tali persona perpetrato. Quænam autem sint talia Indicia, Judicis arbitrio est relinquendum. In specie autem tale indicium esset fuga, imò fundamentum prudenter suspicandi fugam. fol. 231. n. 119. & seqq.

Mulieres in delictis gravissimis, etiam honestæ, in publico carcere includuntur, separata tamen à conversatione virorum. fol. 232. n. 122.

Nobilitas & Doctoratus non penitus liberat ab incarcerationem, quæ tamen cum moderatione fieri debet. n. 124.

Infirmi non incarcerantur, sed Judex petit asserationem fidejussoriam, vel adhibet custodes sumptibus infirmi. n. 125.

Locus Carceris, (quando habet rationem custodie) per se loquendo non debet inferre extrinsecas molestias, nisi conditio personæ & delicti aliud requirerent. fol. 233. n. 126.

Incarceratio non debet extendi ultra tempus latæ sententiæ. n. 127.

Plures ejusdem delicti Complices ab invicem separandi sunt. n. 128.

Damnatus legitime ad mortem, potest bonâ conscientia fugere, nullâ tamen vi illatâ Custodibus, nec effringendo carcerem, nec rumpendo vincula. fol. 234. n. 130. Idem dicendum de condemnato ad mitiorem penam quam sanguinis. n. 132. Imò probabilius est, licitum illi esse effringere carcerem, & vincula dirumpere. n. 134. Excipiendi tamen Religiosi à suis Superioribus incarcerati. fol. 235. n. 136. Excipiendus etiam est, qui jurasset, se non clapsurum, adeo ut ne quidem licite fugeret, etiam si injuste incarceratus esset. n. 138.

Licitum etiam est jurare incarceratos ad fugam subministrando instrumenta, nisi captivus esset homo pernitiosus Reipublicæ. Possunt tamen tales auxiliares in foro externo puniri. Quod si ipsi manum admovent ad effringendum carcerem, ob vim publicam possent gladio puniri. f. 336. n. 143.

Carcer.

De hoc vide *Captura*, & *Debitum*.

Caupo.

Tomo 1.

Caupo ob furtum factum à Viatore, non tenetur in duplum Actione in factum ex quasi delicto, bene tamen in simplicium Actione in factum de Recepto. f. 97. n. 150.

Causa Pia.

Quomodo sit privilegiata in Testamento, vide *Testamentum*, *Testes*, *Falcidia*.

Tomo 2.

Causâ piâ instituta, filio præterito, Testamentum quidem esset nullum, sed filius, retentâ legitima, cætera gravaretur restituere causâ piâ. f. 94. n. 421.

Causa pia potest legatum sibi relictum statim vindicare, etiam ante aditam hæreditatem. f. 240. n. 336.

Censuales Libri.

Tomo 5.

Censuales Libri, seu æstimationis patrimoniorum, probant inter Superiorem, & cum cujus bonorum æstimatio descripta est, res descriptas tantum valere, nisi subditiuè luculenter probet, nunc minus valere: item probat, res esse subjectas publicis oneribus, & quoad hoc sibi (non alteri privilegiato) præjudicat. f. 167. n. 481.

Liber Censualis nihil probat in præjudicium Tertij non intervenientis nec consentientis in descriptionem. n. 485.

Ex libro Censuali probatur in favorem tertij, quod Titius v. g. fecerit inscribi aliquid bonum tanquam suum. n. 486. ubi exemplum.

Æstimatio facta in libro Censuali ab ipso Censuario, non probat justum pretium Rei in favorem tertij, quia solet minoris æstimari, quam reverâ valeat. n. 488.

Census.

Tomo 4.

Census, hoc loco, est Jus percipiendi annuam pensionem ex Re vel Persona alterius. f. 101. n. 287. Differt ab Emphyteusi, quòd dominium tam utile quam directum fundi maneat penes Debitorem seu Censuarium. eod. Item differt, quòd Censuarium non solvens, non incidat in commissum, sicut Emphyteuta. n. 288. Differt denique quòd Censuarium possit rem censu affectam vendere irrequisto domino, cum onere transiente ad emptorem, nec debeat solvere laudemium. Et ideo in dubio censetur Contractus esse potius Censualis, quam Emphyteuticus. f. 102. n. 290.

Census dividitur in Reservativum & Consignativum. Prior est, quando quis suum fundum pleno Jure in alium transfert, reservatâ sibi annuâ pensione, & est potius Contractus Innominatus, aut Permutatio, cui potest apponi pactum commissorium. Posterior est, cum quis alteri constituit ac designat Jus percipiendi annuos redditus ex re sua, & quia communiter constituitur emendo pro certa pecunia, ideo hic contractus est Species Emptionis. Cui tamen non potest adijci pactum commissorium, hoc sensu, ut censuarium amittat dominium non solutâ pensione, quia Creditor seu Emptor non transfert dominium in censuarium, & dat pretium longè minus quam valet res censita. f. 102. n. 291.

Census

Census consignativus dividitur in Realem & Personalem. Prior constituitur in Re certa, ex qua pensio solvenda, quæ rem comitatur sicut Servitus. Posterior constituitur in Persona, obligante se ad annum pensionem, absque respectu ad aliam rem ex qua solvatur: quamvis pro Securitate possit adijci hypothea in re certa, quæ tamen pereunte non perit census: quodsi Censuarius aliunde fieret impotens solvere census, ex re Hypothecaria pereretur, & ideo est Census mixtus. f. cod. n. 292.

Pereunte re censita perit census. Si res censita tertio venderetur, non Venditor sed Emptor conveniendus esset. f. 109. n. 293.

Census Consignativus dividitur 2. in Census Fructuarium, hoc est Jus exigendi fructus, & Pecuniarium. Uterque subdividitur in Census quoad quantitatem rei solvendæ certum & incertum, hoc est, ut solvatur pars aliquota v. g. tertia pars fructuum.

Dividitur denique in Perpetuum & Temporalem, qui aliquando est vitalitius. Perpetuus subdividitur in Redimibilem & Iredimibilem. fol. 103. n. 294. Si nihil est expressum, præsumitur esse Iredimibilem, nisi ex circumstantiis appareat alia intentio. n. 295.

Census Temporalis ad breve tempus constituitur, inter bona mobilia censetur, secus inter imobilia: quamvis consuetudo aliquorum locorum habeat, ut omnes census redimibiles inter mobilia censentur. f. 104. n. 206.

Censuum emptio cum certis conditionibus approbatur à Pontificibus. fol. 104. n. 297. & seq. ubi refertur difficile argumentum, quo probari ad apparentiam possit, contractum esse usurarium, & varie minus efficaces solutiones. Solutio vera hæc est. Quamvis Jus Censualitæ sit ad fructus in tempus indefinitum, & sic contingere possit, ut tandem longè plus percipiatur, quam fuerit pretium, æstimatio tamen horum fructuum recipit limitationem ex multis capitibus, maxime ex periculo amittendi censum, re pereunte, aut infructuosâ redditâ. f. 106. n. 302.

Ubi Bulla Pij V. recepta est, Census Personales non sunt liciti. Jure naturæ spectato vix continget, ut non excusetur hujusmodi census ab usura aliquo titulo. f. 107. n. 305.

Non est prohibitus Census personalis, quo pensiones successivè solvendæ, non excederent pretium simul solum, cum habeat potius rationem beneficii. f. 107. n. 306.

Census merè Personalis, cujus pretium non adæquat cumulum pensionum, est Jure naturæ illicitus, absentibus omnibus titulis excusantibus ab usura. f. cod. n. 307. Et hoc non solum est verius loquendo de censu perpetuo & Iredimibili, sed etiam de personali ad certum tempus, non tamen procedit de temporali ad tempus incertum, v. g.

ad vitam Emptoris, vel Venditoris. nu. 308. Et ex hoc fundamento potest defendi contractus quidam à nonnullis DD. reprobatus, & relatus. fol. 108. n. 308.

Quando ex accidenti fortuito valor Censûs decrevit, potest minori pretio redimi ab ipso Venditore, quo possit ab alio tertio emi, etiam si hoc à principio non fuerit in pactum deductum. fol. 108. n. 310.

In Bulla Pij V. videtur gravis illa variatio pretij esse prohibita, quæ solvis esset primo Venditori, non autem quæ per retrovenditionem illi esset favorabilis. f. 109. n. 312.

Probabile est, quod si census justum pretium sit v. g. 1000. fl. et emit Petrus à Paulo 800. percipitque fructus seu pensiones annuas 50. per 4. annos, teneatur Paulo non solum restituere 200. tanquam supplementum justij pretij, sed insuper partem pensionum respondentium. 200. fl. nempe 40. fl. Speculativè probabilis est oppositum. fol. eod. n. 314. Consequenter etiam verus est, si contractio pretij fuit majus justo pretio, quod Venditor non teneatur nisi ad restituendum pretij excessum, & interesse, nihil tamen ratione fructuum, quos emptor percipere potuisset ex prædio valente illud majus pretium. fol. eod. num. 315.

Census Liciti conditiones.

Quoad Conditiones in Bulla Pij V. requisitas, & quæ non sunt Juris Naturalis aut Divini, obligat Bulla etænis, quatenus est recepta. Non esse autem ubique receptam, tradunt plures DD. fol. 110. n. 316. Conditiones in Bulla requisitæ, sunt habendæ pro substantialibus, sine quibus nec in conscientia nascetur obligatio. n. 318. Requiritur autem substantialiter solum in illis censibus, in quibus contractus est utriusque onerosus, & synallagma continens. n. 319.

Prima conditio est, ut Census constitutur in re mobili, certa, & fructifera, vel quæ inter mobilia numeratur. f. 111. n. 320.

Potest in censu Iredimibili alius Census constitui: in redimibili verò tunc solum, si hujus flexi census Venditor se obliget, casu quo prior Census redimatur, quod velit Census constituitur super alia re immobili fructifera. eod.

Per hoc, quod Pontifex requirit rem certis finibus determinatam, non excluditur census super rebus pluribus, modo illæ existant, & sint determinata. Excluditur tamen Census constitutus in omnibus bonis presentibus, & futuris. Item excluditur Census in omnibus bonis presentibus, sub terminis generalibus, non enumerando res singulas, eo modo quo enumerantur, quando venduntur. Possunt tamen cætera bona generaliter Hypothecari, pro majori securitate Censûs in re determinata. f. 111. n. 321.

Non

Non sufficit, rem merè esse frugiferam per accidens, & ex hominis industria, ut sunt Litteræ Censuales ferentes interesse, quia evaderet census personalis. eod.

Si fructus casu fortuito uno anno non respondeant pensioni, nihilominus integra pensio solvenda est. fol. 112. n. 322. & seq.

Non est necesse, ut res censita ferat in specie illos fructus, in quibus constitutus est census, ut solvatur. fol. eod. n. 324.

Potest quis vendere censum ex re aliena, contentiente domino. fol. eod. n. 325.

Secunda conditio. Emendus est Census pecuniâ numeratâ, presentibus testibus & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non prius, recepto integro pretio. Non est tamen de jure natura, ut ematur integro pretio de presenti soluto. fol. 113. n. 326. Imò de jure naturæ sufficeret, loco pecuniæ dari aliam rem etiam non æstimatam. Jure positivo tamen, & quidem in utroque foro, talis contractus esset nullus. num. 327.

Possit constitui Census auctoritate Judicis condemnantis morosum debitorem, ut in penam contumaciæ sit obligatus solvere singulis annis certum Census, donec debitum solvat. fol. 113. n. 328. Requiritur hæc etiam quando Census jam semel constitutus venditur. fol. 114. n. 329.

Non valeret, si in emptione census adderetur pactum, ut venditor & debitor acceptâ pecuniâ, eaque statim reddidit, extingueret aliquod debitum præcedens. eod.

Tertia conditio. Ut non apponatur pactum faciendæ solutionis anticipatæ pensionum, aut obligans ad casus fortuitos. Non est tamen illicitum pactum solvendi partem Censûs post lapsum temporis partem proportionatam. fol. eod. n. 330.

Quarta conditio. Ut in alienatione rei censuales præferatur Censualitæ, exceptis habentibus jus retractus. fol. 115. n. 331.

Quinta conditio. Re censuali pereunte, vel infructuosâ effectâ, Census pro rata perit, adeoque vi Bullæ non est licitum, apponere pactum ascertainmentis de solvendo, etiam re pereunte. Deberet autem infructuositas esse perpetua. fol. eod. n. 332. Quodsi pars infructuosâ evadat, cætera verò maneat fructuosâ, ita ut deductis imperiis possit integer Census solvi, adhuc solvendus erit integer, quidquid dicant communiter Theologi, esse solum solvendum proportionatiter. n. 334. & seq.

Si fundus Censualis divideretur inter plures dominos, possit Censualitæ exigere totum Census ab uno solo, vel quantum fructus pateatur. fol. 116. n. 335.

Si culpa debitoris reddatur res infructuosâ, & Census sit redimibilis, potest quidem debitor redimere, sed interea teneatur ad pensiones solvendas, ob damnum emergens, si est Iredimibilis, non teneatur Creditor acceptare pretium, sed debi-

tor tenebitur actione de dolo, vel in factum ad solvendas pensiones, poterit tamen Census constitui in alia re æque fructifera. n. 336. Si in loco rei destructæ alia similis ædificetur, non propterea Census reviviscit. n. 337.

Sexta conditio. Census debet esse eodem pretio redimibilis præviâ denuntiatione, quâ factâ potest cogi ad redimendum. fol. 116. n. 338. Vi Bullæ non solum Census constituti facti sunt redimibiles, sed omnes deinceps constitutendi, alioquin invalidi essent. fol. 117. n. 340. & seq.

Venditor volens redimere, potest obligari ad solvendum simul totum Census. fol. eod. n. 344. Quod verum est, etiam si ad plures perveniret res Censualis, non enim diceretur Emptor acceptare partialem solutionem ab uno. fol. 118. n. 345.

Denuntiatio faciendâ est à Venditore bimestri ante redemptionem, nec potest Emptor intra hæc cogi ad redemptionem, seu acceptationem pretij & extinctionem Censûs. fol. eod. n. 346. Potest Censualitæ intra bimestre cogere Debitorem ad extinguendum Census, nec cogitur expectare reliquos decem menses. n. 347.

Septima conditio. Non valet pactum redimendi in favorem Emptoris adjectum, ut nempe Venditor obligetur redimere, quando voluerit Emptor, in viro debitore fol. 118. nu. 348. Imò etiam in Bulla prohibetur pactum hujusmodi in penam moræ adjectum. fol. 119. n. 349 ubi vide in compendio relatas undecim conditiones in Bulla requisitas.

Deficiente aliquâ conditione in Bulla requisitâ totus Contractus est nullus, & non præcisè in quantum opponitur conditioni. fol. 120. n. 351.

Violatâ Bulla Fiskus non vindicat pretium Venditori solum, sed ea solum, quæ per donationem aut remissionem laedens acquireret à laico. fol. eod. n. 352.

Jure Naturæ esset licitum pactum de redimendo Censu non solum eodem pretio, sed in eadem specie moneta, si æquale sit periculum decrementi ad incrementum. fol. 120. n. 354. Ratione hujus oneris præbabiliter esset augendum pretium, n. 355. Non esset tale pactum contra Bullam, neque si certa alia species in pactum deduceretur. n. 356.

Ex eo, quod Census perpetuus, quamvis redimibilis, adnumeretur rebus immobilibus, non potest constitui in bonis Minoris, sine Judicis decreto. fol. 121. n. 357.

Vassallus & Emphyteuta possunt constituere Census in scio domino ad tempus duracuræ Feudi. &c. fol. eod. n. 358.

In fundo dotali non potest maritus sine consensu uxoris constituere Census, si habeat tantum dominium civile. fol. eod. n. 359.

Proprietarius non potest Census constituere in re, cujus usum fructum alius habet. fol. eod. n. 360.

Non valet pactum obligans Censuarium solve-

D

re pen-

re pensionem in loco domicilii Censualista. fol. eod. n. 361.

Emptor potest licite exigere fidejussores. f. eod. n. 362.

Censualius obligatur simul cum pretio quo redimit, solvere quotam pensionis respondentem tempore clauso. fol. 122. n. 363.

Volens redimere censum hypothecatum, non tenetur monere creditorem, cui est oppignoratus, nisi ab hoc fuisset requisitus. fol. eod. n. 364.

Cum Censu extinctio non sit proprie alienatio, non requiritur decretum Judicis, ut à minore redimatur. quamvis Censualio consultus sit, si adhibeatur. f. eod. n. 365.

Sic etiam redimi potest census Dotalis à marito, item ab Administratoribus bonorum Ecclesiarum, filici, executorum testamenti &c. fol. 123. n. 366.

Si creditor tergiverfetur in acceptando pretio, sistitur cursus pensionum, si facta protestatione pretium apud Judicem deponatur, vel Sequestrum, cui creditor debet solvere salarium, & fors credit illius periculo. fol. eod. n. 267. ubi vide aliquas conditiones.

Ex censu reservativo Censualista non habet jus prælationis respectu creditorum privilegiorum, si isti velint esse censuarii, & rem censualem sibi appropriari: habet tamen in re subjecta censui consignativo non solum in sorte & pretio, sed etiam in pensionibus cellis, & cedendis. antiquioribus tamen hypothecariis non præfertur. fol. 123. n. 368.

Cessio Bonorum

Tomo 1.

Cessio bonorum est beneficium, quo succurritur debitoribus illis, qui non in fraudem Creditorum sua bona dilapidarunt, neque sunt debitores ex delicto. f. 157. n. 433.

Habet autem debitor, (qui ob debita incarcerari potest, eo quod non constet quod non sit solvendo) electionem inter Carcerem, vel Cessionem bonorum. f. 154. n. 436.

Cessio bonorum habet hunc effectum, ut cedens quoad bona, quæ postmodum acquisiturns est, non possit iterum cogi ad cedendum illis, sed ex illis solum teneatur solvere restantia debita, quantum commodè potest. fol. 154. n. 436.

Si debitor juret, se nihil ad solvendum habere, nec suam culpam ad inopiam redactum, liber erit à carcere, & cessione bonorum, beneficio Novella. 37. fol. 154. n. 437.

Beneficium cessionis denegatur. 1. illis qui ex delicto debent; quod spectant, qui in fraudem creditorum bona alienarunt, vel spe cessionis contraxerunt debita, vel per prodigalitate depauperati sunt, qui scientes se non esse solvendo as contraxerunt, vel qui dolose latitant, & secundum multos, qui debitum negans convictus est. 2. negatur tutoribus ex administratione conventis. 3. Jure Bavarico solis illis conceditur, qui casu improviso

sine culpa ad inopiam pervenerunt. fol. 155. n. 443. & seq.

Potest debitor à creditoribus ad cessionem adactus, eam declinare, petendo (si non sit suspectus de fuga) inducias quinquennales ad solvendum, quibus concessis, non licet illi amplius confugere ad beneficium cessionis, sed vel est integrè solvendum, vel incarcerandus donec integrè solvat. f. 155. n. 444.

Cedens bonis potest salvè conscientia tantum bonorum occultare, quibus si spoliaretur, incidere in eam necessitatem, quæ auferentem aliena excusat à furto, de qua dictum est v. *Necessitas proximi*. In Germania relinquuntur opificibus instrumenta artis necessaria ad quærendum victum. f. 156. n. 445.

Hæres negligens beneficium Inventarii conficiendi, si deinde non sit solvendo creditoribus defuncti, non minus gaudet beneficio Cessionis, quam ipse defunctus. f. 156. n. 446.

Ut debitor possit uti beneficio cessionis, requiritur, ut à creditoribus fuerit saltem extrajudicialiter molestatus. f. eod. n. 447.

Filius familias cedens bonis, non potest nec debet cedere bonis adventitiis, in quibus pater habet usumfructum, ne quidem quoad proprietatem, quia cessio non fit eorum quæ alienari non possunt. f. 156. n. 448.

Beneficium cessionis fidejussoribus non prodest, quominus post factam à principali cessionem, vel intra quinquennales inducias conveniri possint. fol. 157. n. 450. & seq.

Chirographum.

Quâ ratione fundet Mutuum civile, vide *Mutuum* &c. *Pecunia non numerata exceptio*.

Tomo 5.

Chirographum continens summam debiti sine titulo, non est efficax ad probandum debitum. fol. 112. n. 133.

Chirographum est scriptura privata alicujus manu scripta, tradita ad rei gestæ fidem. Unde denominantur Creditores Chirographarii. fol. 372. nu. 512.

Chirographum confessatum à scribente, plenè probat contra scribentem, exceptis quibusdam casibus. fol. 373. n. 513. Nec est necesse fuisse Sigillum appressum. n. 514.

Si Chirographo non est expressa causa debiti, incumbit producenti allegatio & probatio causæ. n. 515. Excepta causâ piâ, ubi præsumitur titulus Donationis. n. 516.

Ex simplici chirographo per debitorem recognito, non probatur jus hypothecæ vel pignoris antiquioris adversus probantem hypothecam per publicum instrumentum, nisi chirographum habeat subscriptionem trium vel plurium virorum probatæ opinionis. n. 517.

Chiro-

Citatio facta in scripto, requirit 1. ut nomen, & cognomen Judicis exprimat. fol. 186. n. 16. 2. Nomen & cognomen citandi. 3. Nomen & cognomen illius ad cuius instantiam fit. 4. Inferenda causa. 5. Assignandus certus, & idoneus locus. 6. Dies & terminus comparandi. eod. & seq. ubi ponitur forma.

Citatio alia est Simplex, alia Preemptoria. Simplex non prius constituit contumacem, quam terribi facta. Preemptoria verò, si citatus ad diem præfixum non compareat, contumacem constituit. fol. 187. n. 19. Preemptoria si sola fiat, debet, tantum temporis continere, quantum tres simplices ex locorum consuetudine continerent: de Jure intervallum est decem dierum. n. 20.

In quibusdam casibus citatio potest omitti, nempe quando ad finem defensionis non esset utilis. fol. 187. n. 21.

Citatio, quæ per nuntium faciendâ, arctat citandum, si nuntius fuit malitiosè impeditus, quominus in faciem citaret. n. 22. ubi casus.

In certis casibus citatio faciendâ in scriptura, quos vide. fol. 187. n. 23.

Citatio existentis extra territorium citantis, fieri potest tripliciter. per Nuntium, per Judicem rei sitæ, per Edictum. fol. 188. n. 24. & seq. ubi vide declarationem & casus.

Si nuntio commissa citatio faciendâ in faciem, sed si non reperitur, ad domum, tunc omisâ inquisitione non valeret citatio ad domum, nisi moraliter certus esset de non reperiendo. fol. 189. n. 28.

Citatio ad illam domum faciendâ ubi habet citandus familiam: eo absente & aliis, assignandâ ad januam scheda. fol. 189. n. 29.

Per citationem à Delegato factâ, hodie nemo extra Diocesim extrahendus ultra diatam, & de consensu utriusque partis. n. 30. & seq.

Citari non possunt Magistratus non perpetui, qui sunt cum Imperio, adeo ut nec Procuratorem mitti teneantur, nisi in usu non debito officij delinquant. fol. 190. n. 34. tunc etiam adhuc in officio existentes possunt in jus vocari. fol. 191. n. 35.

Possunt hi Magistratus etiam ob alias causas citari, sed non nisi in tempore finiti Magistratus. n. 36.

Magistratus perpetui seu in tempore indefinitum dati, possunt in jus vocari. n. 38. Et quicumque Magistratus in alio territorio existens, potest ibi in jus vocari, si ibi aliqua causa forum nanciscatur. n. 39. Denique quivis Magistratus potest in jus vocari ad contestandam litteram, sicque impediendam præscriptionem, seu, ad perpetuandam actionem. n. 40.

Vocatus ab uno Judice, si deinde vocetur ad majus tribunal, coram hoc comparere cogitur. fol. 191. n. 41.

Citatus à diversis Judicibus paribus ad eundem terminum, habet electionem. si tamen una actio est.

D 2

set

Chirographum non recognitum non probat. fol. 374. ubi vide quomodo producenti probandum.

Chirographum privatum nil probat pro scribente, nisi aliis adminiculis juvetur, vel ab adversario pro se producat. fol. 375. n. 523. Neque pro tertio, aut contra tertium, (qui non sit hæres) nisi à tertio subscriptum vel mandatum probetur. n. 524.

Quomodo ad recognoscendum chirographum fieri possit litterarum comparatio, vide fol. 375. & seqq.

Citatio.

Tomo 5.

Citatio potest fieri extra territorium citantis. 1. ratione rei sitæ in territorio citantis per nuntium, non vi jurisdictionis, & ad obligandum ut reus compareat, sed ut monitus de imminente lite notitiam illius habeat. quod si non compareat, potest Judex procedere ad immisionem. fol. 82. n. 374. 2. etiam ratione rei sitæ potest reus citari per litteras ad Judicem alterius territorii, in quo domicilium habet. fol. 85. n. 375. 3. Judex domicilij citare potest subditum extra territorium ubicunque existentem. 4. Per edictum publicum; maxime in actionibus personalibus, quod fit in defectum aliorum modorum citandi. Nec potest fieri à Judice delegato, nisi hoc illi sit specialiter concessum. n. 377. & seqq. ubi casus referuntur, & praxis Camera.

Citatio est Juris naturalis, quatenus eâ omisâ præcluderetur Reo via defensionis. fol. 184. n. 7. Facta à Judice motu proprio, tunc solum valet, quando tendit directè ad utilitatem publicam, & fit ex nobili officio. n. 8. Si reus casu esset præsens, adhuc citandus esset, & terminus ad respondendum concedendus, nisi se statim paratum ostenderet. fol. 185. n. 9.

Realiter & per comprehensionem non nisi Judex ordinarius citare potest. Delegatus solum in quibusdam casibus potest personaliter citare, nempe ad actus qui per Procuratorem fieri non possunt. Solet tamen Judex Ecclesiasticus ad effectum verbalis correctionis quandoque etiam in criminalibus citare personaliter. fol. 185. n. 11. In citatione personalis exprimenda Causa citationis. eod.

Tam Ordinarius quam delegatus, possunt citare verbaliter, per se vel per Nuntium aut Notarium. n. 12.

Sic citatio fiat per ipsum actorem, non tenetur reus illi credere. fol. 186. n. 13.

Si nuntius publicus, & ex officio ad hoc constitutus sit ac juratus, creditor illi asserenti se citasse, saltem ut reus jurare debeat se non fuisse citatum: secus si non sit publicus. n. 14.

Nuntio ad citandum ab Ordinario adhiberi solito, tenetur citatus credere, etiam non exhibeat litteras. Non item si delegatus citet, nisi exhibeat litteras citationis, & commissionis. fol. eod. n. 15.

Christi. Haum. Repert.

fer majoris momenti, vel periret, illa esset preferenda. fol. 191. n. 42. Si unus prius tempore citasset, illi parendum esset. 43.

Incarceratus iuste si citetur ad alium Judicem, tenetur apud illum comparere per procuratorem, si potest. fol. 192. n. 44.

Nemo ex tota familia funus familiare ducentis potest in jus vocari intra novem dies ab obitu. fol. eod. n. 45. Sicut nec illi, qui iusta, hoc est funerales exequias, & ceremonias faciunt. n. 46.

Paterfamilias non potest a filiosam. ne quidem petita venia in jus vocari, nisi ratione peculii Castrensis. fol. 192. n. 47.

Parentes (quo nomine veniunt omnes ascendentes, tam naturales quam adoptivi) non possunt a descendentibus in jus vocari, nisi impetrata venia. n. 48.

Filius adoptivus potest in jus vocare patrem sui patris adoptivi. n. 50. non tamen suum patrem naturalem, etiam si esset in alterius arrogantis familia. 51.

Libertus non potest patronum proprio nomine in jus vocare, sub pena quinquaginta aureorum. fol. 193. n. 52. & seqq.

Per citationem inducitur prævencio indeclinabilis per mutationem domicilij vel status. fol. 194. n. 56.

Citatio facit, ut nec Actor possit variare, alioquin causa casurus, & indemnem reum servaturus. 57.

Citatio firmat Jurisdictionem Judicis delegati ne expiret morte delegantis. n. 58.

Per citationem fit res litigiosa, ut lite pendente alienatio non valeat, exceptis, quæ dantur dotis vel contra dotis nomine. vel transactionis aut divisionis rerum hæreditariarum factæ, vel per legati vel per fidei commissi causam. n. 59. & seqq.

Citatio interruptitur quandoque præscriptio longissimi temporis. fol. 195. n. 61.

Citatio inducit litis pendentiam, ut nihil innovetur. n. 62. ubi exempla.

Reus citatus, absque causa excusante non comparens, fit contumaciæ reus. n. 64.

Citatio constituit legitimum contradicentem, ut amplius ab actore repelli non possit. n. 65.

Vitium citationis non ex defectu Jurisdictionis proveniens, sanatur per comparitionem citati. fol. 195. n. 66. & seqq.

De substantia Processus est relatio factæ citationis, eo modo quo nuntius fuerat iustus citare: absque hac condemnatio in contumaciam non valet. fol. 169. n. 69. Nec sufficeret fieri post actum ad quem facta est citatio. n. 70. Sufficit tamen Relatio generalis. n. 71. & si fiat Notario. n. 73.

Non obstante privilegio quo quis posset forum declinare, debet citatus comparere, & privilegium allegare. fol. 197. n. 74.

Ut citatus comparens evitet prorogationem Jurisdictionis, protestari debet se quidem comparere in termino præfixo, sed non consentire in Jurisdictione, nisi in quantum de Jure tenetur, & sic etiam poenam contumaciæ evitabit. n. 76.

Dies ad quem facta citatio, accipitur a mane usque ad vesperam, tenebris exclusis. n. 77.

Comparenti (non comparente adversario) non licet absque imperata licentia recedere, alioquin haberetur pro contumaci. n. 78. ubi quid Jure Bavariæ. n. 79.

Si actor in termino peremptorio non compareret, dicitur Citatio circumduci, etiam si reus etiam non compareret, adeoque esset opus novâ citatione. n. 80.

Citatio facta præsumitur quando ex actis apparet, vel citandus ex longinquis regionibus compareret: aut comparens se ut citatum gerit. Et quidem præsumitur facta ad instantiam actoris. fol. 405. n. 686.

Clericus.

Quibus legibus Civilibus, & quomodo obligentur Clerici, vide *Lex*.

Tomo 1.

Clericus, non ex vanis, sed probabilibus conjecturis infamatus infamia facti, de criminæ cuius plena probatio deficit, admittitur ad purgationem canonicam. f. 167. n. 508.

Clericus in prædio spectante ad sumum Beneficium, habet Dominium, & non merum usumfructum, & ideo prohibitus ab usu, non agit confessoria, sed Actione injuriarum. f. 230. n. 83.

Clerici sunt Domini illorum Bonorum, quæ ratione Beneficij tanquam fructus illius consequuntur. fol. 313. n. 68. & seqq.

Quod Clerici non possint licite convertere hujusmodi Bona in usus profanos, non est Juris naturalis, sed solum humani & potest ab Ecclesia fieri licitum, sicut defuncto Clerico de illis licite testantur, & incolæ urbis Romæ etiam inter vivos possunt disponere pro libitu. f. 316. n. 82.

Distributiones, Pensiones, Præsentia, Stipendia ratione Capellanæ annumerantur potius bonis quasi patrimonialibus. f. 317. n. 86.

Expendens contra legem prohibentem in usus profanos vigesimam partem superfluum centum, adeoque 5. cætera ad causas pias, non peccaret mortaliter opinione Card. de Lugo, alijs aliter sentientibus. f. 318. n. 91.

Potest Clericus compensare ex Redditibus, quod expendit ex patrimonialibus vel quasi, in suam sustentationem. f. eod. n. 92.

Clerici ob naturales dotes majores, possunt aliquantè plus in sui sustentationem convertere quam alius, non tamen totum excessum, si habeant ex patrimonialibus, unde possint splendidius vivere. fol. eod. n. 93. & seqq.

Clericus

Clericus potest intuitu obsequiorum extraordinariorum, adicere ex fructibus Ecclesiasticis aliquid patrimonialibus bonis, quantum valent obsequia. f. 319. n. 95. Si etiam parcius vixit, potest adicere patrimonialibus, quod comparat. 96.

Non possunt Clerici Beneficiati Alienare reddituum suorum Beneficiorum ad vitam five alienantis five percipientis, quamvis possint transigere tanquam super re dubia, absque tamen præjudicio successorum. 97. ubi casus. & 99. Potest tamen locare ad triennium. f. 320. n. 100. Quodsi locatio facta esset ultra triennium, valeret saltem ad triennium, nisi contraria esset contrahentium intentio. 101.

Mortuo Beneficiato intra annum, & Beneficio alteri collato, fructus pendentes ad Successorem spectant, percepti & separati ad hæredes defuncti, nisi alicubi recepta sit Bulla Julij III. quâ disponitur, fructus, ubi non spectant ad Cameram tanquam spolia, spectare ad successores, dummodo realiter & cum effectu necdum percepti fuerint ab antecessore, & alijs proprijs bonis incorporati. f. 320. n. 103.

Clerici possunt Testari de bonis patrimonialibus & quasi. f. 56. n. 250. De bonis seu proventibus Ecclesiasticis superfluis, inspecto Jure scripto non possunt testari, ne quidem ad causas pias. n. 251. Nec hoc solum procedit de bonis comparatis ex fructibus Ecclesiæ, sed etiam de ipsi fructibus perceptis. 252. & quidem de his à fortiori. 254.

Potestas tamen testandi ad causas pias, non est contra Jus Naturæ, sed potest à Pontifice concedi & consuetudine introduci. fol. eod. n. 255. Imò potest consuetudine introduci, & ab Ecclesia permitti, ut hujusmodi testamenta etiam ad causas profanas valeant, & defacto passim hoc habet consuetudo. f. 57. nu. 257. Item probabile est, hujusmodi consuetudine reddi licitam talem dispositionem, quia probabile est, non esse Jure naturæ prohibitam. 258. & seqq.

Videtur dicendum, quod Ecclesia permettendo tam universalem consuetudinem testandi, profanæ illa bona Ecclesiastica pro tempore mortis. f. 58. n. 262.

Clericus non tenetur parentes instituere hæredes, nec isti præteriti possunt Testamentum dicere nullum, legitimam tamen consequuntur. f. 95. n. 423.

Clericus an possit coram Judice Laico reconveniri, vide *Jurisdictione Ecclesiastica & seculari ad invicem comparate*.

Tomo 5.

Privilegio fori (de quo vide: *Jurisdictione Ecclesiastica*) ut gaudeat constitutus in Minoribus, aut primâ tonsurâ initiatus, requiritur, ut vel habeat Beneficium, vel Clericalem habitum & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi in-

serviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos, venietur. f. 61. n. 275.

Clericus Conjugatus ut gaudeat, observanda est Constitutio Bonif. IX. modò alicujus Ecclesiæ Servitio vel Ministerio ab Episcopo deputati eodem serviant, vel ministrent, & Clericali habitu & tonsurâ utantur. n. 276.

Gaudet eodem Privilegio Novitij Laici, viri & femina Regulares: Oblati, Rectores Xenodochiorum, Fratres Tertij Ordinis D. Francisci in communitate viventes, Milites Ord. S. Joan. & S. Jacobi &c. f. 62. n. 277.

Clericus in Minoribus constitutus, dimissione habitus, vel negligentia tonsuræ, amittit quidem Privilegium fori, si careat Beneficio, recuperat tamen habitum & tonsurâ reassumptis. f. 62. nu. 278. Idem dicendum, si dimisso habitu, & crimine perpetrato, habitum absque fraude reassumit. n. 279.

Clerici Mimi aut Histrionis personam agentes, per annum continuu privantur ipso Jure Privilegio fori. f. 63. n. 280.

Per crimen Assassinij, præcedente Sententiâ declaratoriâ, à Judice Ecclesiastico ferendâ, amittit Clericus privilegium fori. fol. eod. n. 281.

Clericus in perpetrandis enormibus criminibus incorrigibilis judicatus, traditur potestati seculari, & ab eo punitur poenis Jure civili constitutis. Prærequiritur autem trina monitio. f. eod. n. 282. Requiritur etiam Sententia declaratoria incorrigibilitatis. n. 283. An prærequiritur degradatio aut depositio actualis, est observanda consuetudo. n. 284. Plura de amissione Privilegij Fori in Criminalibus, vide tomo 6. f. 111. n. 48.

Clerico cum Laico peccante, potest Judex Laicus seorsim Laicum judicare & punire. f. 63. nu. 285. & seqq.

Clericus in flagranti deprehensus, potest à Ministris Magistratus secularis comprehendi, ex consensu præsumpto Magistratus Ecclesiastici, ob periculum moræ. f. 96. n. 295.

Pœnas impositas à lege, non potest Laicus à transgressoribus Clericis exigere judicialiter, & in ratione pœnæ; potest tamen pro damno facere compensationem aliter non obrinibilem. f. eod. n. 295.

An Clericus possit Privilegio fori renuntiare: item an possit consuetudine aut præscriptioe minui, & alia plura, vide: *Jurisdictione Ecclesiastica*.

Tomo 6.

Ad Judicem Ecclesiasticum spectat cognitio, an Habitus Clerici in delicto comprehensum sit Clericis. f. 12. n. 50.

Clericus, commissio delicto de fuga suspectus, potest capri à Magistratu Laico, ut Judici Ecclesiastico tradatur. n. 51.

D ;

Ut Cle-

Ut Clericus possit comprehendi à Laico, aliando sufficit degradatio verbalis, si accedat incorrigibilitas, & ob contumaciam anathema. n. 52.

Si secularis delinquens ante capturam assumit statum Clericalem, & Judicium jam est captum, potest Laicus de causa cognoscere, sed non procedere contra personam nisi quoad bona: potest tamen persona capitaliter condemnari, & postea ab Episcopo degradari. Si post capturam assumeret statum Ecclesiasticum, censetur assumpsisse in fraudem, & non liberaret à Jure seculari. f. 13. n. 53.

Clericus Fornicarius quomodo puniatur. vide. *Fornicarius.*

Cloacæ Servitus.

Tomo 1.

Est Jus immitendi Cloacam, hæc est, meatum subterraneum in ædes, arcem, agrum, vel solum vicini, ad evehendas sordes. Unde dominus habet Jus intrandi ædes, aperendi pavementum Cloacæ, càmque purgandi, præstita cautione de damno infecto. f. 280. n. 176.

Codicillus. Codicillaris Clausula.

Tomo 2.

Codicillus Militis continens institutionem hæredis, induit rationem testamenti f. 2. n. 7. Potest tamen adhuc à Testamento distingui, quia non est fundamentalis Sententia, sed aliam supponens. n. 8.

Codicillus est ultimæ voluntatis species, quæ eb defectum solennitatum, directè hæreditas nec dari nec adiri potest, bene tamen indirectè, sicut & legata relinquuntur. f. 205. n. 193.

Quamvis Exhereditatio non possit fieri in Codicillis, causa tamen exprimi potest indignitatis. Sed hæc non est exhereditatio, quia requiritur Sententia condemnatoria, & portio adjudicatur fisco. f. eod. n. 104.

In Codicillo sufficiunt quinque testes, nec necesse est, esse ad hoc specialiter rogatos. Nec requiritur sigillatio. f. eod. n. 195.

Nec clausula Codicillaris sufficeret in Testamento non habente quinque Testes. fol. 206. nura. 196.

In Codicillo Cæci, quinque Testibus videtur speraddendus sextus, sicut in eorum testamentis speraddendus est supra numerum communem. f. eod. n. 197.

Nem est necesse Testes existere in conspectu Codicillantis. f. eod. n. 198.

Eciam femina potest esse Testis in Codicillo. f. eod. n. 199.

Ad Codicillum inter liberos, sufficiunt duo Testes. f. eod. n. 200.

Testes in Codicillo non requiruntur ad Substantiam, sed solum ad probationem. Unde si

C.

Codicillus Testamento confirmatus esset, ne quidem Testes probationis requirerentur, & hæres in Codicillo nominatus, non in Codicillo, sed in Testamento datus censetur, & in Codicillo solum declaratus. f. 206. n. 201.

Clausula Codicillaris in Testamento minus solenni regulariter quidem non subintelligitur, sed tamen in certis casibus. 1. In Testamento facto inter liberos. 2. Quando vel ab ipso Testatore enixe preces de fideicommissis restituentis, vel ab hærede additur Juramentum f. 207. n. 202. & seqq.

Clausula Codicillaris primus & præcipuus effectus est, quòd si Testamentum habeat saltem quinque Testes, sustinetur fideicommissa & Legata ab Hærede ab intestato solvenda. f. eod. n. 203.

Secundus effectus est, quòd Institutio directæ Hæredis extranei, obliquetur in fideicommissariam, ut Hæres, ab intestato succedens, detracta Trebellianicâ teneatur hæreditatem restituere Hæredi scripto. f. eod. n. 206.

Tertius eodem modo probabilius gravatur per talem clausulam Hæres injuste scienter præteritus aut exhereditatus, retentâ tamen Legitimâ & Trebellianicâ, non item si ignotanter esset præteritus. Idem dicendum si agnatione posthumi Testamentum rumpere. fol. eod. nu. 207. Nisi haberet patrum institutum, cui portio relicta esset tanquam fidei commissum restituenda. f. 208. n. 209.

Non habet tamen hæc Clausula vim, ut per posterius Testamentum minus solenne, revocetur prius Testamentum. eod.

Quartus effectus. In arbitrio Hæredis scripti est, an velit agere ex Testamento ad totam hæreditatem Jure directo, an ad dodrantem Jure fideicommissi. Variare tamen non possit (quamvis in conscientia illi deberetur fideicommissum) si postea apparet, Testamentum non habere nisi vim Codicilli. f. 208. n. 210. Excepto hærede in certo gradu conjuncto, cui licet variare. n. 211.

Codicillum illi soli facere possunt, qui Testamentum. Fieri tamen possunt ab intestato. fol. eod. n. 212.

Confirmantur Codicilli Testamento prius facto, etiam si non fiat eorum expressa mentio. Imò & Testamento postea facto, modo appareat, Testatorem à voluntate in Codicillo expressâ non recessisse. Hæc Confirmatio consistit in eo, quòd Codicilli innitantur Testamento tanquam accessio, illiusque Jus sequantur, stando & cadendo eum eodem. Unde si tale Testamentum destituitur ab Hærede, fideicommissum in Codicillo relictum erit nullum: à Testamento tamen nullo ab initio, non pendet valor Codicilli, quia non est illius pars. f. 208. n. 213.

Ex pluribus Codicillis sibi in aliquo contrariis, in eo in quo contrarij sunt, posterius obtinebit. f. 209. n. 214.

Codicilli

A.

Codicilli etiam infirmantur defuncti contrariâ voluntate, eaque nudâ. f. eod. n. 215.

Collatio Bonorum.

Tomo 2.

Collatio bonorum, est illatio in communem bonorum parentis acervum, ex quo legitima debetur, eorum profectiorum bonorum, quæ afferentis effecta erant, ut cum alijs tanquam Hæres in illis succedat. fol. 122. n. 541.

Jure novo tam ab emancipatis quam *Suis* omnia illa sunt conferenda, quæ olim Jure Codicis erant conferenda, si pater ab intestato decessisset, nisi pater expressè designet, se aliqua nolle conferri. f. eod. n. 542.

Quoad Ascendentes manet Jus antiquum incorrectum, qui proinde non conferunt, quæ à liberis in vivis acceperunt. Unde non est universaliter verum, illos omnes debere conferre, quibus debetur legitima. eod. & seq.

Si quis ex liberis neglectâ bonorum possessione ex cap. *unde liberi*, vellet succedere ex cap. *unde cognati*, & concurrere cum cognatis, nec isti nec ille teneantur conferre. f. 123. n. 544. & seqq.

Nepotes succedentes Jure Repræsentationis, etiam conferre debent. f. eod. n. 548.

Feminae etiam tunc conferre debent, quando sunt institutæ Hæredes, etiam si ex statuto à successione ab intestato excluderentur: & hoc intuitu legitimæ, à qua non excluduntur, & ratione cujus haberent etiam possessionem bonorum contra tabulas. f. 124. n. 549.

Quamvis Emancipati, quando concurrunt cum *Suis*, debeant conferre, si tamen soli emancipati inter se concurrant, non tenentur conferre nisi dotem, & donationem propter nuptias. f. 124. n. 550. & seqq.

Ut cesset Obligatio conferendi, non sufficit tacita vel præsumpta inhibitiō patris, sed requiritur expressa: qualis est etiam, si pater, designatis partibus hæreditatis diceret, se velle, ut illas integras acciperent. f. 125. n. 552. & seq. Excipiendi tamen illi, pro quibus stat Jus præsumptio. eod.

Collatio non habet locum nisi in illis bonis quæ vivo Testatore quasi ab ejus patrimonio abscellerunt, ut dos, donatio propter nuptias & c. adeoque non in legatis fideicommissis, mortis causâ donationibus. f. 125. n. 552.

Quando Extraneus cum Liberis est Hæres institutus, collatio cessat respectu extranei, non respectu liberorum. n. 554.

Collatio faciendâ est etiam tunc, quando aliqui ex Testamento, alij ab intestato succedunt. n. 555.

Quoad bona conferenda, Regula 1. Generalis tradi solet, illa solum esse collationi subiecta, quæ accepta sunt ab eo & ex ejus bonis, ex cujus bonis legitima debetur. Unde, cum vivente Patre Avus non debeat Nepoti legitimam, si hunc Hæredem scriberet, non teneretur res prius ab Avo donatas conferre. 126. n. 557.

Sola Profectitia, quæ proveniunt ex patre vel matre, vel linea paterna aut materna, conferuntur in legitimam ab illis debita: non tamen indistinctè omnia, sed quæ specialibus legibus jubentur conferri, aut in legitimam computari. fol. 126. n. 557. & seq.

Alterâ Regula est, ea omnia esse conferenda & in legitimam computanda, quæ pater non quidem remuneratoriè, sed ex causa necessitatis dedit, ut dotem, contradotem, & c. fol. eod. n. 561.

Quando Dos est tantum promissa, tunc non potest reipsâ conferri: conferenda tamen est æquivalenter & virtualiter per cautionem liberationis seu defensionis faciendam fratribus simul succedentibus, quòd Soror illorum, Filia Testatoris velit eos defendere adversus Maritum, casu quo dotem exigeret. Si verò dos jam accepta fuit, est reipsâ conferenda, hoc est, confunditur cum bonis paternis, ut proinde ejus partem fratres accipiant, si quidem filia solum matrimonio dotem recepit à marito: fecus, non conferitur realiter, sed remissione tantæ partis bonorum paternorum quantum ex collata dote fratres accipere possent. Quod si sine culpa apud maritum perisset, liberaretur à collatione per regulam generalem, quòd debitor speciei per ejus interitum liberetur. num. eod.

Sumptus facti in elocanda filia, v. g. in convivium nuptiarum, non videntur conferendi, ex intentione nimirum patris præsumpta, sicut nec qui sunt in celebratione primitiarum, vel ingressu filie in monasterium, computantur in legitimam. fol. 127. nu. 562. aliud est dicendum de vestibus pretiosis. eod.

Conferenda est etiam Dos, quam avus mater-nus aut mater dedit, in successione qua matri vel avo materno succeditur in bonis, ex quibus dos data est: adeoque ratione hujus successione haberetur pro profectitia, quamvis cateroquin adventitia sit. fol. eod. n. 563.

Non esset tamen conferenda annua summa à patre data filio ad sustinenda onera matrimonij, utpote qua censetur habere rationem alimentorum. f. 128. n. 564.

Patrimonium filio pro Titulo Mensæ assignatum conferendum est, cum sit instar donationis propter nuptias. f. eod. n. 565.

Univerfim illa non sunt conferenda ex Jure præsumptione, quæ ex paterno affectu & liberali quadam pietate impenduntur ad liberorum utilitatem promovendam ultra id quod ex necessitate impenditur, v. g. expensæ pro Gradibus: & quidem Jure Bavarico id constitutum est, nisi pater & mater filium pro debitorè agnovissent, vel justisset ut in legitimam ejusmodi sumptus sibi computari pateretur. f. 128. n. 566. & seqq. Quod etiam verum esset, etiam si pater administraret bona adventitia filij, ex quibus, si vellet, posset hujusmodi sumptus subministrare: deberet enim monere de hoc filium, si vellet illos sumptus ex bonis